

a. 1094, Cartario di S. Lorenzo, p. 13-14, doc. IX

✠ Nos secundus Riccardus, divina ordinante clementia Capuanorum princeps, patefacimus universis fidelibus nostris quam, per interventu Rainaldi cognomine Muscae, Turoldei filii, pro animabus principum Riccardi avi et Iordani patris nostri, et ob statum nostri principatus, concessimus et confirmavimus tibi donum quod, ob redemptionem animae patris et matris meae, fecit monasterio Sancti Laurentii, prope muros Aversae urbis sito, et domino Guarino venerabili abbati, eiusque successoribus atque custodibus, videlicet casalem qui dicitur Nolitum, cum omnibus eius appenditiis, qualiter ipse prefatus Rainaldus in suo dominio tenebat, acceptis tamen ab eodem inde quadringentis solidis et una cappella pro benedictione; remota omni contrarietate et molestatione principum successorum nostrorum vel vice principum, comitum vel vice comitum, iudicum, sculdaorum, castaldeorum, aliorumque omnium mortalium personae. Quod si quis huius nostrae concessionis et confirmationis contemptor aut violator esse tentaverit, centum libras auri purissimi persolvat, medietatem nostro sacro palatio, et medietatem praefato monasterio et domino praescripto Guarino venerabili abbati, eiusque successoribus atque custodibus. Solutaque pena librarum, haec nostra concessio et confirmatio firma, munita atque inviolabilis maneat in perpetuum. Et ut hoc firmitus credatur, et diligentius ab omnibus observetur, manu propria nostra subscripsimus, et nostri sigilli impressione iussimus insigniri.

✠ Signum Rainaldi Muscae

✠ Signum Rodulfi de Mucengros

✠ Signum Stantionis vice comitis

✠ Signum Turstayni Troglet

✠ Signum Rainaldi Lopini

✠ Signum Rainfridi Sorelli

✠ Signum Iconis de Doeli

Ex iussione praefatae serenissimae potestatis, scripsi ego Quiriacus iudex, in anno Dominicae incarnationis millesimo nonagesimo quarto, et .XIV. principatus ipsius domini Riccardi gloriosi principis. Datum Aversae, mense aprili, per indictionem .II.